



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Opinio Durandi. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

differentia, quæ ab alijs differt: ergo in simplicibus non est genus, & differentia. Quare in sententia Durandi laborandum non est, ut assignemus aliquid, ex quo ratio generis sumatur, & aliud, ex quo sumatur differentia.

Verum sententia Durandi probabilis non est. Ut enim optimè admonet S. Thomas in hoc articulo in solutione primi, genus & differentia non sunt duæ res componentes aliquam vnam, sed diuersi conceptus eiusdem rei. Quocirca constitutio & compositio ex genere, & differentia, non est realis, sed per rationem: neque enim in rebus inuenitur aliquid reipsa commune pluribus speciebus, sed nostro modo concipiendi plura cognoscuntur conuenire, quia similia sunt, & ex parte differre: quia quodammodo etiam sunt dissimilia ac proinde non repugnat, in rebus simplicibus talem constitutionem esse: quia intellectu nostro concipiuntur, & quatenus inter se conueniunt, & quatenus differunt: ex quo resultat ratio generis, & differentia, atque compositio seu constitutio ex utroque: ergo non solum apparet falsitas sententiæ Durandi, sed etiam infirmitas rationum, quibus eam confirmauit. Nam cum genus & differentia sint solum diuersi conceptus in vna eademque simplicissima re, intellectus noster inuenire potest quale illius, quod sit differentia, & quid quod sit genus, quorum quodlibet non exprimat totam naturam rei, sed quasi partem illius: & ita simplicia non differunt se totis, sed aliquo peculiari conceptu, quo tota essentia non continetur. Rationes sane Durandi probant, in simplicibus genus & differentiam re ipsa non distinguunt: quod non solum in simplicibus verum est, sed etiam in compositis ex materia & forma. Ceterum quamuis alij putent, compositionem generis & differentia esse per intellectum; conantur tamen inuestigare aliqua re ipsa distincta, ex quibus genus & differentia sumantur.

CAPUT II.

Quid sentiant Henricus, & alij scholastici.

Henricus quoddam. 7. q. 8. refert opinionem quorundam asserentium, Angelos non esse in genere, quia non habent materiam, ex qua illud sumatur. Sed quam sit improbabilis horum opinio cap. seq. patebit. Ipse vero Henricus distinguit duplex genus, alterum naturale, alterum Logicum. Prius, quod etiam appellat prædicabile, asserit sumi à materia, non excludendo formam: posterius à forma, non excludendo materiam. Sed quomodo in Angelis sumatur genus, & differentia, non explicat. Eadem tamen proportionem dicit, sumi genus ab aliquo, quod est ut materia, non excludendo illud, quod est ut forma: & differentiam ab eo, quod est ut forma, non excludendo id, quod est ut materia.

Thomistæ vero aliqui, cum asserant, in rebus materialibus genus sumi à materia, & differentiam à forma, ut docuit S. Thom. 2. contra gentes, cap. 95. & Ferrar. ibid. sic eadem proportionem docet, in Angelis genus sumi ab eo, quod est quasi materia, & differentiam ab eo, quod est ut forma. Assignant vero in Angelis essentiam loco materiae, & (esse) loco formæ: quæ duo putant suapte natura in eis distinguuntur antè intellectus operationem, ut ita non concedant compositionem ex genere,

& differentia, etiam si sit solum per intellectum, sine compositione reali ex aliquo ut materia, & aliquo ut forma, quæ sit veluti fundamentum illius: distinguunt autem ex natura rei essentiam, & esse in Angelis, & rebus simplicibus, docent S. Th. in hoc articulo in solutione 3. & Bonauent. in 2. dist. 3. 1. p. artic. 1. quæst. 1. Ricard. artic. 1. quæst. 1. nisi quod Ricardus docet, Angelos esse solam relationem creaturæ ad creatorem; naturam autem aliquid absolute. Genus vero sumendum esse à materia, & differentiam à forma, censent Thomistæ, esse sententiam Aristot. 8. Metaphysicæ, cap. 2. & 3. & Porphyrii. cap. de proprijs generis, & differentia. Addit tamen Ferrar. genus non sumi propterea à materia, & differentiam à forma, sed remota non alia ratione, nisi quia genus est veluti potentia, differentia vero sicut actus: radix autem omnis potentia est materia, sicut totius actus est forma.

CAPUT III.

Vera sententia.

Ego verò existimo nec in rebus compositis ex materia, & forma, nec in simplicibus substantijs, aut etiam accidentibus querendum esse aliquid reale, ex quo sumatur ratio generis, & aliquid distinctum, ex quo sumatur differentia; sed circa totam ipsam rem diuerso modo spectatam concipi rationem genericam, quatenus cum alijs rebus conuenire videtur; & differentiam specificam, quatenus alijs dissimilis est. De genere, & differentia in Angelis ita expresse docet Sanctus Thomas in solutione primi. Quare necessarium non est, in materialibus sumere genus ex materia, & differentiam ex forma: ac proinde frustra in rebus materialibus aliter philosophabimur. Intellego autem non esse hæc duo sumenda ex materia, & forma: non tantum proximè, sed etiā remote, hac ratione: Ut ego in re aliqua concipiam rationem communem illi cum alia, & rationem particularem illius, quæ alteri dissimilis est, non debeat speciatim respicere materiam, & formam: sed satis est rem totam diuerso modo concipere, ut in Angelis constat, & S. Thom. fateretur: ergo nec proximè, nec remote ex materia sumo genus, & ex forma differentiam. Et certè quod sit discrimen inter proximè, & remote, ego non capio, vel quæ ratione materia sit radix omnis potentia, quæ in solis conceptibus inuenitur, & forma totius actus qui in intellectu solum est. Cum ergo animal, quod est genus hominis, & equi, in suo conceptu includat compositionem ex anima & corpore secundum rationem communem, & rationale, quod est differentia, eodem modo secundum rationem particularem; frustra genus ex materia, & differentiam ex forma sumendam esse dicemus. Præterea non solum in rebus spiritualibus, sed etiam in materialibus non distinguuntur esse, & essentia, ut in 3. p. q. 2. art. 8. & q. 17. art. 2. latius ostendimus: ergo inde non potest sumi genus & differentia. Quomodo autem nihilominus Angeli possint à Deo destrui, & corrumpi, disp. 182. c. 5. dicemus. Et quamuis natura & suppositum distinguantur, inde tamen non potest oriri ratio generis, & differentia: utraque enim in sola natura consideratur, & reperitur, absque proprio supposito, ut in humanitate Christi patet. Quæ autem dicta sunt intelligimus de genere, & differentia, quæ à Logicis dicuntur.